

05

A

637



DE
QUESTIONE
AN PNEVMATICA
SIT PECULIARIS ET A RE-
LIQVIS SCIENTIIS PRÆSER-
TIM A METAPHYSICA DISTIN-
CTA SCIENTIA
EXERCITATIO

QVAM
PRÆSIDE

ANDREA FRÖLINGIO
PHILOSOPHIÆ MAG. ET LOGI-
CES PROFESSORE ORDINARIO

Die 18 Martij

INNOVI IVLEI AVDITORIO MAIORI

Publico examini subijcietur

GEORGIUS ERNESTUS Geldberg
CELLENSIS AUTOR.



HELMÆSTADI,
Typis HENNINGI MÜLLERI Acad. Jul. Typ.
Anno cloc lxxv.



VIRIS

AMPLISSIMIS ET CON-
SULTISSIMIS

DN. BERNHARDO BÖHMER,
J. U. Doctorando & Intimo Camerae Cellensis Se-
cretario longè dignissimo, Dn. Fautori ac Pro-
motori atatem colendo,

UT ET

DN. HENRICO HELDBERG,
Feudorum Secretario Cellensi & Archivario
meritissimo, Dn. Parenti suo æter-
nùm venerando

hoc Academicum exercitium:

consecrat:

Georgius Ernestus Heldberg



A. & Ω.

THESIS I.



Um omnes res, ut conservationem, ita & perfectionem suam naturaliter appetant; siquidem corpora inanimata & cœlestia & terrestria, plantas item & bruta ad præstitutum sibi à conditore suo Deo Opt. Max. finem (in quo obtinendo maximam partem perfectionem suam sitam habent) properare videmus: turpe profecto fuerit homini, nobili illi Dei creaturæ, sese longè inferioribus creaturis hæc in parte cedere, nec ad perfectionem sibi à natura & naturæ autore præscriptam, quantum fieri potest, aspirare.

I. Quoniam verò homo & corpore constat & animâ, utriusque perfectiones ipsi sunt quærendæ. Neque enim facimus cum Stoicis, sapientem suum etiam in Phalaridis tauro beatum prædicantibus. Adeoque negamus, hominem perfectionem sui plenam obtinere, nisi & corpori & animo bene sit.

III. Missis perfectionibus corporis, cum in anima rursus duo sint, Intellectus nempe & Appetitus, & hic & iste, siquidem perfectionem suam homo obtinere gestiât, sua perfectione est imbuendus.

IV. Hanc perfectionem, cum primùm in lucem edimur, non obtinemus actu sed tantum potentiâ unde Phi

l. 3. de anima
ma. c. 4. tit. 4

qua nihil actu scriptum sit, inscribi tamen quidvis possit & deducitur autem hæc potentia in actum habitibus.

V. Habituum alii sunt Instrumentales, qui propter alium habitum adipiscendum inventi sunt & expetuntur: alii Principales, qui propter semetipsos inventi sunt & expetuntur. Rursus alii in sola rerum contemplatione acquiescunt & vocantur Theoretici: alij actionem seu $\pi\rho\alpha\gamma\mu\alpha\tau\iota\kappa\acute{\alpha}$ spectant, & dicuntur Practici: alii effectioni, quam $\pi\rho\alpha\gamma\mu\alpha\tau\iota\kappa\acute{\alpha}$ vocant, præfunt, & vocari possunt Factivi vel Effectivi.

Arist. 1. 6. Met. c. 1. Theoretici perficiunt intellectum theoreticum vel speculativum, Practici activum vel practicum, factivi Factivum vel effectivum.

VI. Habitus autem Theoretici principales, (de his enim missis reliquis porrò agemus) qui aliàs Philosophiæ Theoreticæ appellatione veniunt, cum Deum, & quæcunque Deus in hac rerum universitate contemplanda proposuit, contemplantur, facilè patet, intellectum Theoreticum naturalem suam & omnibus numeris absolutam perfectionem in Dei & omnium eorum, quæ sunt extra Deum, contemplatione obtinere. Atque huc etiam

Arist. 3. de an. 1. 18. pertinet tritum illud: Intellectus intelligendo potest fieri omnia.

VII. Neque tamen res omnes unam duntaxat constituunt scientiam theoreticam, quæ totam entis regionem pervagetur, omnesque ejus partes speciatim & distinctè consideret, ens puta ut ens, corpus naturale ut tale, & ita porro: quæque ad eò eas, quæ dicuntur, scientias, Metaphysicam, Physicam & Mathematicam, sub se tanquam partes, perinde ut Physica doctrinam animalium, plantarum, metallorum &c. contineat, à Philosophis autem in plura membra dividatur tantùm propter addiscentium commoditatem; quia tam multa, tam varia rerum genera

in u-

in unum complicata simul addisci non possint: perinde ut
vasa angusti oris magnam aliquam aquæ copiam simul in-
fusam respuunt, guttatim autem instillatâ recipiunt. Sed o-
mnino plures hinc constitutæ & constituendæ sunt scien-
tiæ. Neque etiam hodie facile quenquam reperias, qui
istam Mirandulani scientiarum omnium congeriem
admittat.

Vid. Mi-
rand. l. 13.
de everfio-
ne singul.
certam.
sect. 6 & 7.

VII. Sunt autem res omnes vel Substantiæ vel Acciden-
tia. Substantiæ sunt vel Corporeæ, atque hinc Physica;
vel Incorporeæ, unde Pneumatica: de qua hac in dispu-
tatione pluribus agemus, investigaturi an ea rectè consti-
tuatur peculiaris & à reliquis, præsertim à Metaphysica,
distincta scientia. Inter accidentia autem primò occur-
rit Quantitas, atque hinc Mathesis. Sed quia quantitas
considerari potest vel abstractè sine omni materia, vel con-
cretè, sive prout rebus Physicis est immerfa, oriuntur
inde scientiæ Mathematicæ Puræ & Mixtæ. Puræ Ma-
theseos scientiæ sunt Arithmetica, quæ quantitatem dis-
cretam; & Geometria, quæ quantitatem continuam
considerat. Reliquæ sunt Mixtæ, ut Musica, Astronomia,
Optica, Geographia &c.

IX. Quod porrò Qualitates attinet, de ijs non in-
stituenda est peculiaris scientia. Pertinet enim earum con-
sideratio ad eam scientiam, in qua agitur de substantia,
ex qua fluunt. Neque etiam de reliquis Accidentis speci-
ebus peculiare constituendæ sunt scientiæ, quandoqui-
dem harum specierum consideratio ad superiores perti-
net, id quod pluribus hîc exponere nil facit ad nostram
Helenam.

X. Illud verò, in quo omnia omnium reliquarum
scientiarum objecta conveniunt, pertinet ad Metaphysi-
cam,

eam, quæ omnium aliarum scientiarum quasi mater est.
Met. 4. Illud verò est ENS. Nam & enti, prout ens est, quædam propria
Met. c. 2. sunt. Et oportet quoque esse aliquam scientiam univer-
alem, diversam à scientijs particularibus, quæ agat de tran-
scendentibus & iis, quæ sparsa sunt per omnes disciplinas.
Met. 1. Hinc de Metaphysica Aristoteles: Est quædam scientia quæ
speculatur Ens prout ens est & quæ ei per se insunt. Hac autem
nulli earum, quæ in parte (τῶν ἐν μέσῃ) dicuntur, eadem est. Nulla
namque cæterarum universaliter de ente, prout ens est, considerat,
sed ejus aliquam partem abscindentes quod ei accidit speculantur,
ut Mathematica scientia.

XI. Hisce ita delibatis ad propositam quæstionem
propius accedemus. Investigandum autem hîc ante omnia
est, unde de scientiarum Theoreticarum, quibus Pneuma-
ticam cum aliis annumeramus, existentia sit judicandum.
Plerique, si non omnes, ab objecto, quodcunque demum
intelligent, eam pendere asserunt. Imò, si Francisco de O-
viedo credimus, Doctores fere omnes statuunt, distingui
scientias per objecta formalia, ita ut, ubi diversa sint ob-
jecta formalia, ibi etiam diversæ sint scientiæ. Est scilicet
Objectum scientiæ, prout affectionibus & principiis contra-
distinguitur, (ita enim hîc objectum accipimus,) duplex:
Materiale, quod est res, circa quam scientia versatur; &
Formale, quod est ratio, sub qua circa aliquam rem scientia
versatur. Vocatur hoc objectum à scholasticis *Ratio for-
malis objectiva*. Ita objectum materiale Arithmetices est
numerus; Objectum autem formale exprimitur his verbis:
quatenus est numerabilis. Utrumque objectum rursum est du-
plex, *Adequatum & Inadequatum*. Objectum materiale ade-
quatum est, quo omnia complectitur, quæ scientiæ alicujus
actibus attinguntur, nec plura. Objectum materiale inadequa-

8170

rum est aliquid eorum, quæ sub objecto adæquate continentur. Objectum autem formale adæquatum est, quod complectitur omnem rationem, sub qua scientia res sibi subiectas attingit & nihil ultra. Objectum formale inadæquatum est, quod aliquam tantum rationem, sub qua scientia res sibi subiectas attingit, complectitur. Sic objectum Physices materiale adæquatum est corpus naturale; inadæquatum, homo. Objectum ejusdem formale adæquatum est; quatenus corpus naturale; inadæquatum; quatenus mixtum. Quando igitur hi Autores dicunt & nos cum illis, ab objecto pendere scientiarum theoreticarum distinctionem, intelligunt objectum formale, & quidem, si de tota scientia sermo sit, adæquatum. Atque huc pertinet illud Philosophi: *Vna autem est scientia, quæ unius est generis, quæcunque ex primis componuntur, & partes sunt, aut affectiones horum per se.* Ad quem locum rectè Zabarella: *Vnum autem subjectum (genus Aristoteles vocat) intelligendum est, non modò res una considerata: hæc enim potest una & eadem in pluribus scientiis subjectum esse, sed secundum unum considerandi modum: ab hoc enim scientiæ unitas pendet, quemadmodum etiam cuiuscunque rei unitas à forma fit, non à materia.* Rectè autem dicit (generis) significans subjectum totius scientiæ, non subjectum partis. Loquitur enim de scientiæ unitate prout distinguitur à diversitate seu multiplicitate: nam homo & equus sunt res diversa, de his tamen est una & eadem scientia, nempe naturalis, & eorum tractationes non sunt duæ scientiæ, sed duæ partes ejusdem scientiæ, propterea quòd continentur tanquam species sub natura communiore, sub corpore naturali, quod est amplissimum subjectum totius scientiæ naturalis, idcirco subjectum, quod totale vocari solet, semper est genus & species habet & ab ejus unitate unitas scientiæ pendet.

XII. Di.

XII. Dicis: Non opus hîc esse videtur objecto formali. Nam objectum materiale duplex est; *Proximum*, inter quod & potentiam activam vel habitum non intercedit aliud objectum, sive, quod à potentia vel habitu attingitur in se: & *Remotum*, inter quod & potentiam activam vel habitum intercedit aliud objectum, sive, quod à potentia activa vel habitu non attingitur in se. Illud à quibusdam etiam *Immediatum*, hoc *Mediatum* vocatur. Sic objectum Physices remotum est ens, quia inter hoc & habitum Physicum intercedit aliud objectum, quod revera ejus objectum est, sive, quia Physica ens non attingit in se, aliàs enim affectiones entis de ipso demonstrare deberet, quod falsum esse constat. Objectum autem Physices proximum est corpus naturale: inter hoc enim & habitum Physicum non intercedit aliud objectum, & hoc attingit Physica in se, siquidem affectiones ejus de ipso demonstrat. Iam verò, quia corpus naturale hoc modo non est objectum ullius alterius disciplinæ, sequi inde videtur, ab objecto materiali, non quidem remoto, at proximo tamen, distinctionem & speciem scientiarum desumi posse. Sed Resp. concedendo, ab objecto materiali proximo scientiam specificari & distingui, at non proximè & formaliter, sed tantùm remotè, tanquam à signo. Scilicet ubi reperitur objectum materiale proximum, signum est, ibi dari rationem aliquam formalem, sub qua objectum materiale à certa aliqua & peculiari scientia consideretur. Interim ab objecto formali proximè & formaliter scientia speciem suam habet: id siquidem dicit, quo modo aut sub qua ratione objectum materiale in hac & non alia scientia consideretur, quod objectum materiale non dicit.

XIII. Quia igitur diversitas scientiarum pendet primò
& for-

& formaliter à diversitate objecti formalis & unitas ab unitate talis objecti, facile patet, ex diversitate objecti formalis adæquati primò & formaliter diversitatem adæquatæ; & ab unitate objecti formalis adæquati unitatem vel identitatem adæquatæ scientiæ pendere. Sed fortassis objiciet aliquis, Aristotelem non ex diversitate objecti, sed ex diversitate principiorum scientiarum distinctionem assignare. Ita enim ille in Analyticis: *Alia verò diversaq; est scientia ab alia, quarum principia neque ex eisdem, neque altera ex alteris sunt: hujus autem signum est, quando ad indemonstrabilia venerit. Oportet enim ipsa in eodem genere esse cum rebus demonstratis: signum autem & hujus est, quando ea demonstrantur per ipsa & in eodem genere sunt & cognata.*

l. r. post.
c. 24.

XIV. Nos hîc quidem concedimus, Philosophum in allegato loco diversitatem scientiarum desumere ex principiis toto genere diversis, sive, quæ neque ex eisdem primis principiis pendent, neque altera ex alteris. Nam scientia de animalibus & scientia de lapidibus habent quidem singulæ propria sua principia, sed pendentia ex iisdem primis principiis scientiæ naturalis, materia scilicet & forma: atque hinc non sunt diversæ scientiæ, sed diversæ tantum partes unius ejusdemque speciei scientiæ. Principia verò scientiæ de homine pendent ex principiis scientiæ de animali, & principia scientiæ de animali pendent ex principiis scientiæ de corpore animato: prior enim utrobique pars est posterioris, atque sic hæ scientiæ non sunt diversæ specie scientiæ, quia earum principia à se invicem, altera sc. ex alteris, pendent. Atque hinc, si talium scientiarum principia resolvi possint in prima ejusdem generis principia, concludi inde posse

B

Philo-

Philosophus docet, unam ibi esse scientiam. Quando autem id fieri non possit, ut scilicet in resolutione principiorum ad prima ejusdem generis principia perveniatur, signum esse, diversas ibi esse scientias. Contra: si forsitan dubitetur, an principia aliqua ad eandem scientiam pertineant nec ne, colligi id posse docet ex conclusionibus ex principiis illis deductis. Hæ enim si ejusdem sint generis & inter se & cum ipsis illis principiis, ex quibus sunt deductæ, signum id esse docet, principia illa ejusdem scientiæ esse principia: sin diversi sint generis, signum esse, etiam principia diversarum scientiarum esse principia. Verum enim vero nihilominus ex diversitate & identitate generis sive objecti formalis diversitas & identitas scientiarum pendet secundum ipsum etiam Philosophum. Nam ubi dantur toto genere diversa principia, ibi etiam necesse est dari toto genere diversum objectum, sive diversum genus, quando quidem ex diverso objecto diversa fluunt principia, & ex toto genere diverso objecto non possunt non toto genere diversa fluere principia. Quia igitur objectum naturam prius est principiis, etiam diversitas & identitas scientiarum prius oritur ab objecto, quam à principiis. Hinc rectè Zabarella ad locum §. xi ex Aristotele allatum: *Vna scientia dicitur, quæ est unius subjecti generis: si quid autem præter illud in scientia considerari videtur, id ad ipsius subjecti unitatem redigitur: est enim ipsius vel principium, vel species, vel affectio.*

Fonl. 4. XV. Cæterum hinc difficilis oritur quæstio, unde
 Met. c. 1. scilicet desumendum sit objectum formale. Multi, ut P.
 qu. 1. sect. 4. Fonseca, F. Suarez, Conimbricenses, Javellus & Thomi-
 Suar. D. stæ communiter ad abstractionem à materia confugiunt,
 Met. 1. f. 2. n. 21. & f. 3. n. 2. cujus tria recensentur genera. Vnum genus est, quando
 Con. Pro- abstrahitur ratione à materia sensibili unguinari tantum:
 com. in lib. Aliud

Aliud, cum ratione abstrahitur à materia sensibili singulari & universali simul: Aliud denique, quò abstrahitur ab omni materia re & ratione simul. Primum genus Physicam, alterum Mathematicam, tertium Metaphysicam gignere creditur. Atque pro hac sententia adducitur auctoritas Aristotelis, utpote qui pro diversitate abstractionum à materia diversas constituat scientias. Abstractionem autem, quam Metaphysicæ assignant, eam scilicet, quæ re & ratione abstrahit ab omni materia sensibili, rursus faciunt duplicem, aliam absolute & per essentiam, aliam permissivè talem. Illo modo abstractum à materia est, quod non tantum extra materiam sensibilem existit, sed etiam nulla ratione in ea esse potest & repugnat ei esse materiale sensibile. Et hoc modo Deus & alia substantia immateriales sunt abstracta re ipsa à materia sensibili. Permissivè verò abstracta dicuntur illa, quæ quidem reperiuntur extra materiam, sunt tamen & in materia. Hoc modo Ens in sua latitudine & quæ ei insunt, re ipsa abstracta sunt à materia sensibili: Scholastici vocant abstractionem secundum indifferentiam. Utraque autem Metaphysicæ propria esse dicitur.

XVI. Verum enim vero nos, salvo doctiorum iudicio, putamus, non admodum opus hisce esse, cum ex ipsarum rerum scibilium natura hac de re judicari posse videatur, ipso etiam Aristotele in Analyticis suis præeunte. Et quid si cum P.H. de Mendoza, B. Pererio, R. de Arriaga F. de Oviedo & aliis negemus, scientias satis rectè dividi per abstractiones à materia? Sanè abstractio realis per essentiam specie differre videtur ab abstractione secundum indifferentiam & ab abstractione rationis, pari modo, quo distinctio realis diversa est à distinctione rationis. Imo, secundum Suarezium, rursus inter res, quæ necessario existunt sine

Phys. Arist.
qu. 1. et 3.
1. av. 1. 6.
Met. qu. 7.

6. Met. t. 2
12. Met. e. 6
1. de an. c. 19
t. 17. &c.

B. Stahl
Disc. ad
Tab. Met.

Disp. Med
1. sect. 3. § 14

T.1. C.L 1.
P.3. S.2. n.17

materia, videtur ut minimum valde diversa abstractio Dei, qui est omnino actus purus & ab omni etiam Metaphysica compositione abstrahit, ab abstractione aliarum intelligentiarum, quæ, licet materiã careant, compositæ tamen sunt, eisq; attributa longè diversa

conveniunt. Consentire Suarezio, quod præsens attinet, videtur F. de Oviedo. Est porro abstractio rationis extrinseca objecto abstracto; abstractio autem realis objecto est intrinseca. Itaque vel concedendum erit in eadem scientia plures abstractionũ dari species, & per consequens diversas specie abstractiones non gignere diversas specie scientias, vel plures dabuntur scientiæ Theoreticæ, quorum tamen neutrum Thomistæ facile concedent.

XVII. Deinde in eadem scientia diversæ à materia abstractiones dantur. Sic Physica omnium confessione agit de homine, agit item de cœlo: sed homo abstrahit à materia sensibili non universali, sed tantum singulari, quæ abstractio Physicæ propria esse dicitur; cœlum autem non abstrahit à materia singulari. Nempe considerat Physica non hunc numero hominem, sed hominem in universali, at cœlum considerat non in universali, sed hoc numero, quod actu tegit omnia, cœlum. Neque enim cœli in communi aut possibilis, sed hujus numero cœli, hujus numero solis & lunæ magnitudinem, figuram, incorruptibilitatem, motum & in hæc inferiora influxum considerat. Existimat tamen R. de Arriaga, posse Thomistas

l.1. de Pro. 1. regerere, eam scientiam (Physicam) agere quidem de his name-
em. Log. ro cœlis, secundum tamen rationem communem, dum agit de in-
disp. 1. sect. corruptibilitate, compositione &c. quæ omnia abstrahunt ab hoc
3. subf. 3. numero cœlo: quod autem sit una & altera cognitio de individua-
n. 26. tione, v. g. quot sint cœli & quomodo inter se differant, hoc non ob-
stat, quò minus per se ea scientia abstrahat ab individuatione. Quod
dico,

dico de cœlo, dico de sole, quia qua de eo disputantur sunt communia aliis solibus possibilibus. Idem est de eclipsi futura, & cetera que sunt communia omnibus possibilibus. Verum enim vero, præterquam quòd Arriaga non diffiteatur, scientiam de cœlo non in omnibus abstrahere ab individuatione, an, si Deus alios ab hoc, quod actu existit, cœlo crearet cœlos, necessum esset, eos omnes eodem modo incorruptibiles esse, eodem modo compositos, easdemque habere affectiones? Nonne possent aliam habere magnitudinem, alium modum, alium influxum? Nullam sanè hîc videre licet contradictionem. Ergo adhuc Physica agit de cœlo & sole non in communi & possibilibus, sed de hoc numero cœlo, hoc numero sole, hac numero lunâ. &c.

XVIII. Urgemus tertio cum Mendoza, quod idem numero habitus vel scientia, attingat diversarum scientiarum abstractiones. Musica enim considerat rationem numeri, qui abstrahit à materia sensibili omni; & soni, qui abstrahit à materia sensibili non omni, sed tantum singulari. Sic etiam Optica attingit lineam, quæ abstrahit à materia sensibili omni; & visualitatem, quæ abstrahit à materia sensibili non omni, sed tantum singulari. Cum igitur in eadem scientia diversis scientiis assignatæ abstractiones reperiantur, non poterit à diversitate abstractionum scientiarum diversitas peti.

XIX. Dicimus quarto cum F. de Oviedo, in hisce T. I. C. L. 1.º.
abstractionibus tria tantum reperiri, 1. actus intellectus, p. 3. §. 2.º.
2. actuum horum objecta, & 3. denominationes, quas ex n. 19.
actibus suscipiunt objecta. Sed scientiæ non possunt distinguui per actus intellectus; hi enim, si singuli sumantur, à scientiis partialibus; si universi, à totali scientia non differunt: ac sic distinguerentur scientiæ per semetipsas, quod est absurdum. Et per quidam distinguentur actus;

B 3,

hujus

Huius scientiæ ab actibus scientiæ alterius? Deinde nec dici potest, quòd distinguantur per objecta horum actuum, per quos sive formaliter sive effectivè objecta ipsa abstracta dicuntur: neque enim distinguuntur per objecta materialia primò quidem & formaliter, ut jam tum supra probavimus, neque etiam dici potest, quòd distinguantur per objecta formalia: nam de eo quaeritur, unde sumendum sit objectum formale. Nec denique primò & formaliter distingui possunt scientiæ per denominationes, quas ex actibus suscipiunt objecta. Quia enim harum distinctio pendet ex distinctioe actuum, ex horum distinctioe rectius desumeretur scientiarum distinctio, quàm ex distinctioe vel diversitate denominationum, quas ex actibus objecta suscipiunt. Plura contra hanc sententiam videri possunt apud Autores citatos.

XX. Dicimus igitur, Rationem formalem objecti, à qua scientia distinctionem & speciem suam primò & formaliter habet, desumendam esse ex ipsa objecti materialis proximi natura, reduplicando hoc objectum supra semetipsum. Ostendi hoc à posteriori posse videri ita: Consideremus varias affectiones, quæ de ente ejusque speciebus vel inferioribus entis directè sub eo contentis possunt demonstrari. Tales sunt v.g. posse moveri, posse esse in loco, posse esse in tempore, esse unum, bonum, perfectum, esse principium vel principiatum & aliæ. Hæ affectiones omnes competunt homini, equo, leoni & aliis. Sed posse moveri, posse esse in loco, posse esse in tempore, competunt v.g. homini, non quatenus homo, nec quatenus est animal, nec quatenus est corpus vivens, sed quatenus in genere est corpus naturale. Reliquæ verò affectiones competunt quidem similiter homini, sed nec quatenus est ho-

mo.

imo, nec quatenus est animal, nec quatenus est corpus vi-
vens, nec etiam quatenus est corpus naturale, sed quatenus
est ens. Homo igitur, sicut & reliquæ species, quibus ut
condistinctis opponitur, imo & omnes species inter ho-
minem, speciem infimam, & corpus naturale interjacen-
tes, quibus tales affectiones simili modo competunt, rati-
one priorum prædicatorum non possunt pertinere ad eam
scientiam, ad quam pertinent ratione prædicatorum posteri-
orū. Danda igitur est aliqua sciētia, quæ agat de corpore na-
turali ut corpore naturali sive ut tali, & hanc vocamus Phy-
sicam. Atq; ita inventum est objectū formale, sub quo mul-
ta quidem adhuc continentur objecta formalia (nam confi-
derari etiam potest corpus naturale quatenus v. g. est mi-
xtum) sed partialia, quæque ut talia objecta formalia sub
priori isto, corpore scilicet naturali, ut tali, continentur.
Quando enim considero corpus mixtum, ut mixtum, ad-
huc considero corpus naturale, ut corpus naturale, licet
inadæquatè. Hoc verò; corpus naturale ut tale, quia sub
nullo alio objecto formali, ut tali, continentur, est objectum
formale adæquatum, adeoque etiam adæquatam constituit
scientiam. Equidem continentur adhuc corpus naturale,
ut tale, sub ente, sed quando corpus naturale considera-
tur ut tale, sive ut corpus naturale, non consideratur sub
formali ratione entis, licet consideretur id, quod est
ens: quemadmodum, si corpus mixtum considera-
tur ut mixtum, non solum consideratur id quod
est corpus naturale, sed etiam corpus naturale, quatenus
est tale, ut corpus naturale, ut tale, inadæquatè tantum
consideretur, quod non obstat. Atque huc ex parte mi-
nimùm pertinere dixeris locum illum Aristotelis, ubi di-
cit: *Alia verò diversaq; est scientia ab alia, quarum principia* 1. post. 2. 244
nec.

neque ex iisdem neque altera ex alteris sunt. Hujus autem signum est, quando ad indemonstrabilia venerit. Oportet enim ipsa in eodem genere esse cum rebus demonstratis: signum autem & hujus est, quando ea, quae demonstrantur per ipsa, in eodem genere sunt & cognata. Possent haec pluribus deduci, sed nobis pergen- dum est ad alia.

Disp. Met. I
sect. 6, n. 52

XXI. Aristotelem quod attinet, an cum Mendoza dicendum: cum requirere abstractionem à materia, non quia intellectus cogitatione praescindat unū ab alio, sed quia materialitas reperta in phantasia abstrahitur per speciem impressam: id est, quod phantasia repraesentat materialiter, quia ipsa est materialis, species impressa repraesentat spiritualiter, quia est spiritualis: & sic objectum non est in intellectu cum ea materialitate, cum qua à parte rei. Sanè id certum est, ab intellectu, utpote substantia immateriali, attingi nihil posse nisi abstractum à materia. An verò dicendum: Aristotelem, cum à diversitate abstractionum distinctionem scientiarum desumit, non à rebus, sed nonnihil populariter & secundum receptam fortassis tunc temporis opinionem more sibi non inusitato procedere? Interim concedimus, ea, quae dicuntur à materia sensibili esse abstracta re & ratione secundum indifferentiam, revera esse considerationis Metaphysicæ, & ea, quae ratione dicuntur esse abstracta à materia sensibili singulari, tantum esse considerationis Physicæ.

XXII. Hisce ita constitutis dicimus, Pneumaticam non malè constitui peculiarem atque à Metaphysica & reliquis scientijs distinctam scientiam. Probamus hanc sententiam primò generaliter ita: Vbicunque datur objectum formale adæquatum scibile, & quidem distinctum ab objectis formalibus omnium aliarum scientiarum, ibi datur

datur peculiaris, atque à reliquis scientiis omnibus distincta & adæquata scientia. Sed hic (scil. in Pneumatica) datur objectum formale adæquatum scibile, & quidem distinctum ab objectis formis omnium aliarum scientiarum. Ergo hic etiam dabitur peculiaris, atque à reliquis scientiis omnibus distincta & adæquata scientia. Majoris veritas ex superioribus evidens est. Minor probatur: quia hic datur spiritus sive substantia immaterialis (hæc enim nobis hoc loco spiritus nomine venit) quæ talis. At verò spiritum quæ talem esse objectum scibile, probatur inde, quia spiritus habet affectiones vel attributa de sese per propria principia demonstrabilia. Sic carentia quantitatis (molis) quæ est affectio spiritus, demonstratur de eo per carentiam materiæ, hoc modo: Quicquid est expers materiæ, illud est expers quantitatis: Spiritus est expers materiæ: E. Spiritus est expers quantitatis. Porro: Quicquid est expers quantitatis, illud est indivisibile: Spiritus est expers quantitatis, E. Spiritus est indivisibilis. Firma igitur est assertio nostra, scilicet spiritum esse objectum scibile. Sed non est objectum sive totale sive parziale Physices, utpote quæ tantum circa corpora naturalia quatenus talia versatur: nec scientiæ alicujus Mathematicæ, ut conceditur. Restat igitur ut probetur, nec esse objectum Metaphysices. Plures enim scientiæ Theoreticæ non dantur, nec plures dari, facile quisquam dixerit.

XXIII. De adæquato autem Metaphysices objecto complures reperiuntur opiniones, sed quarum aliæ illud nimis extendunt, aliæ nimis coarctant. Prima sententia juxta Suarezium *ens abstractissimè sumptum*, quatenus sub se complectitur omnia entia, & realia & rationis, & per se & per accidens, pro adæquato Metaphysices objecto agno-

Disp. Meto
I. lect. 1. n.º
2. seqq.

agnoscit. Secunda opinio cum prima coincidit, nisi quod negat sub objecto Metaphysices entia rationis directe contineri. Tertia opinio Deum facit adæquatum hujus scientiæ objectum: & hæc ab Alberto M. Alpharabio tribuitur & à Suarezio Averroi. Quarta substantiam aut ens immateriale, prout in se includit solum Deum & intelligentias, pro adæquato hujus scientiæ objecto agnoscit. Atque hanc opinionem Scotus & Flandrensis itidem Averroi tribuunt: sed Fonsæca, Iavellus & alii Commentatori injuriam fieri existimantes dicunt, ipsum iis, quæ pro hac ejus sententia ex ipso allegari solent, locis non assignare objectum adæquatum, sed tantum objectum principalitatis, nec aliud velle, quam substantias separatas propriè ac ratione sui cadere sub primi Philosophi considerationem. Ad hanc autem & præcedentem sententiam Suarez eam reducit, quam Avicenna dicitur attingere in principio suæ Metaphysicæ, secundum quam *prima rerum causa*, sive, ut Fonsæca dicit, *causa ut causa* statuitur adæquatum hujus scientiæ objectum. Quinta opinio, quæ Dominici de Flandria est, adæquatum Metaphysices objectum vult esse ens divisum in decem prædicamenta. Sexta opinio, quæ Buridano adscribitur, adæquatum hujus scientiæ objectum facit substantiam, quatenus substantia est, id est, ut abstrahit à materiali & immateriali, finita & infinita. Addi fortè potest septima, nempe Timpleri, qui *παν νοητόν* sive omne intelligibile contendit esse adæquatum Metaphysices objectum.

Fonsæca 4.
Met. c. 1.
qu. 1. sect. 1.
Iav. 1. Met.
qu. 1.

4. Met. c. 1.
qu. 1. sect. 1.

1. Met. c. 1.
probl. 5.

XXIV. Verum enim vero omnes hæc opiniones objectum Metaphysices vel justo latius extendunt, ut prima, secunda & ultima; vel id ipsum nimis coarctant, ut reliquæ
omnes,

omnes. Rectius alii adæquatum Metaphysices objectum videntur facere Ens quatenus ens. Intelligunt autem ens reale per se, commune finito sive creato & infinito sive increato, substantiæ & accidenti. Probatur hæc sententia ita: Cuicumque omnes affectiones, quæ in Metaphysicis considerantur, primò competunt, illud est verum & adæquatum Metaphysices objectum. Sed enti quatenus enti omnes affectiones, quæ in Metaphysicis considerantur, primò competunt. E. Ens quatenus ens est verum & adæquatum Metaphysices objectum. Et vice versa: Cuicumque affectiones, quæ omnium confessione in Metaphysicis considerantur, non competunt primò, illud non est adæquatum Metaphysices objectum. At verò ita se res habet de omnibus objectis, in sententijs th. proximè præcedenti allatis, ut facile de singulis ostendi posset, si opus esset. Ergo. Hinc de Metaphysica Aristoteles: *Est quadam* 4. Met. c. 1.^a *scientia, qua specularur ens, prout ens est, & qua ei per se insunt.* Et capite sequenti: *Patet itaque unius esse & enti prout entia speculari.* Et sub finem capitis: *Manifestum itaque ex his etiam est, quod unius scientia est ens, prout ens est, speculari.* Et post pauca: *Quod dicitur unius scientia est ens, prout ens est, & qua ei prout enti insunt, speculari manifestum est.* Rursus alibi: 6. Met. c. 1.^a *Principia & causa entium quaruntur, & patet quòd prout entia sunt.* Et in fine capitis: *De ente prout ens est, ac quid est, & qua ei insunt, speculari hujus est.* Ex hisce, cum pluribus alijs locis collatis, omnino videtur evinci posse, adæquatum Metaphysices objectum ex ipsius Aristotelis sententia esse; Ens quatenus ens. Vbi objectum materiale, sive res considerata, est *Ens*; formale sive modus considerandi, *quatenus Ens*.

XXV. Ens autem ratione inferiorum suorum, substan-

C 2

tia

riæ p̄ta & accidentis, Dei item five creatoris & creaturã-
rum, non est æquivocum, nec tamen univocum, præsertim
secundum Aristotelem, sed ex eorum numero, quæ Philo-
sopho dicuntur πῆς ἐν vel ἀφ' ἐνός, five, ut nunc usus lo-
quendi fert, est Analogon. Ita enim expressè Philoso-
phus: *Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad unum,*
(πῆς ἐν) unamque quandam naturam & non æquivocè, sed quem-
admodum omne sanum ad sanitatem, quoddam eò quòd conservat,
quoddam eò quòd facit, quoddam eò quòd signum sanitatis, quod-
dam vero quòd capax ejus est: & medicinale ad medicinam:
quoddam enim eò quòd habet medicinam, medicinale dicitur,
quoddam propterea, quòd naturã aptum ad eam sit, quoddam pro-
pterea, quòd opus medicina sit: eodem modo cætera quoque accipi-
emus: ita & ens multipliciter quidem dicitur, sed totum ad unum
principium. Et certè, ut ut vel τὸ actu existere citra mentis
operationem, vel τὸ non repugnare existere, absolutè & sim-
pliciter accidenti non repugnet, repugnat tamen eidem
tamdiu, quamdiu non existit substantia. Sed ut substan-
tia vel existat vel existere possit, non requiritur, ut prius
existat accidens. De creatore & creatura similis est ra-
tio. Quod si verò enti analogia tribuenda est, facile pa-
ter, non proportionis sed attributionis, & quidem non ex-
trinscæ sed intrinscæ analogiam eidem tribuendam esse.
Et quãvis nonnulli, viri aliàs doctissimi, ex adducto Aristo-
telis loco non nisi extrinscæ attributionis analogiam col-
ligi posse censeant, dicimus tamen, Aristotelem in addu-
cto loco non intendere explicare, quænam præcisè analo-
gia Enti sit tribuenda, sed tantùm generaliter significare
velle, quòd Ens sit analogum, atque eareus tantum duo
illa exempla, in quibus analogiam extrinscæ attributio-
nis reperiri non negamus, ut nota & omnibus obvia, qui-
bus.

4. Met. c. 2.
Vide & l. 7
Met. c. 4.
&c.

busque ferè consuevit uti, in medium protulisse. Atque sic non malè tritum illud huc retuleris: *Exemplorum non requiritur veritas.* Imò distinctionem in analogiam attributionis extrinsecæ & intrinsecæ apud Aristotelè in terminis non occurrere, ipsi illi concedunt: unde & non nemo eorum analogiam attributionis intrinsecæ *figmentum Scholasticorum* vocat. Et licet, quod & ipsum ab illis urgetur, Aristoteles statim post jam jam citata verba etiam negationes entibus annumeret, de quibus certum est, iis rationem entitatis intrinsecè non competere, inhæremus tamen nostræ responsioni, & dicimus, Aristotelem tantùm generaliter analogiam enti tribuere, qualiscunque demum ea fuerit, & sive respectu eorum omnium, de quibus Ens dici posse putat, analogia ejus eadem sit sive diversa.

XXVI. Cum igitur Ens respectu inferiorum suorum, substantiæ puta & accidentis, entis item finiti sive creati & infiniti sive increati, vix possit tueri rationem univocam, sed ferè analogicè de iis dicatur, analogiâ scilicet attributionis intrinsecæ; & verò qui tractat naturam unam, multis non univocè sed analogicè tantùm communem: eandem non simpliciter tantùm, sed etiam, prout aliter atque aliter in analogatis suis habet, explicare debeat: facile patet Metaphysicam non solum in universali debere agere de ente & ejus affectionibus, sed etiam ejus esse, diversam rationem entis, actus, potentiæ, unitatis, veritatis, perfectionis &c. in substantia & accidente, ente creato & increato, ostendere. Hinc Philosophus: *Quemadmodum sanorum omnium una scientia est, ita & de ceteris est.* Non enim solum eorum, quæ secundum unum (καθ' ἓν) dicuntur, (i.e. quæ univoca sunt. Fonseca vertit: quæ rati-

one una dicuntur) verum etiam eorum, qua ad unam naturam
 (περὸς μίαν φύσιν) dicuntur, unius scientia est speculari. Nec malè,
 quod præfens attinet, Zabarella ad locum illum ex Analy-
 tics § xi. allatum: vult significare Aristoteles, unam esse sci-
 entiam illam, cujus prima principia constituunt unum subjectum
 genus, hoc est (ut Averroës notat) vel unius natura; qua dici-
 tur unitas univoca vel saltem unum analogiâ & proportione. Imo
 cum omnis scientia subjecti sui species & specierum spe-
 cies, sub eo scilicet considerandi modo, quem habet cu-
 jusque scientiæ subjectum, contempletur, etiam Meta-
 physica agere debet de Entis, ut subjecti sui, speciebus &
 quidem sub ratione entis, sive quatenus entia sunt. Fon-
 1. Met. 2. 2. seca hoc extra dubium ponit, dum ait: Non vocavimus in du-
 qu. 1. sect. 1. bium, pertineat ne ad Metaphysicam res omnes ratione aliqua intel-
 ligere, quia id certius est, quàm ut de eo disputari debeat. Agit enim
 de ente quatenus ens est, quare aliquo modo de omnibus entibus. At-
 4. Met. c. 2. que huc forsan quis traxerit illud Aristotelis: Entis quoq;
 quot species sunt, & species specierum speculari, unius scientiæ gene-
 1. Phys. c. 8. re est, scilicet sub ratione entis. Quamvis Pererius putet
 Aristotelem hoc loco tantùm id velle, quòd Metaphysices
 fit, considerare omnes species entis non simpliciter & ab-
 solutè, sed cū adjunctione illius particulæ (quot sunt,) quòd
 videlicet Metaphysica debeat considerare species entis se-
 cundum numerum, distinctionem, ordinem vel subalter-
 nationem earum inter se: nimirum quia sunt genera quæ-
 dam & gradus entis, in quos ens per primas & generales di-
 visiones distribuitur. Quæ quidem expositio etsi non in-
 commoda sit, tamen adhuc alia, & forsan commodior A-
 ristotelisq; instituto convenientior dari poterit, de qua
 paulò post agemus. Eorum interim expositionem, qui
 per species entis affectiones entis intelligunt, ut Sonerus
 & teste Sonero Cæsalpinus, rejicimus.

XXVII. Dicitur: Si Metaphysica agit de spiritu quatenus ens est; quatenus verò spiritus consideratur ut spiritus, de eo peculiaris danda est scientia, quare non etiam de substantia agit tantum quatenus ens est? quare non etiam constituitur peculiaris scientia de substantia ut substantiâ, quemadmodum de spiritu ut spiritu? Eadem ratio est de accidente. Resp. Omnis scientia subjecti sui immediatas minimum considerat species vel quasi species, quales in Metaphysicis sunt substantia & accidens, in quibus dum Metaphysica diversam rationem entis ostendit, & quidem præcipuè, quomodo se illa habeat in substantia ut primo analogato, eo ipso agit de substantia ut tali, neque videmus, quid amplius in substantia considerandum maneat. Hinc Suarez: *Hæc scientia sub ratione entis considerat rationem substantiæ, ut sic, & rationem etiam accidentis* Disp. Met. I. sect. 2. n. 13.

XXVIII. Quòd autem Metaphysica non descendat ad rationem specialem spiritus, ulterius ita probatur: Si Metaphysices est agere de spiritu ut tali, sive ita, ut affectiones spiritus ex ejus spiritualitate fluentes de ipso demonstrare debeat, ejusdem etiam erit agere de corpore naturali ut tali, sive ita, ut & corporis naturalis affectiones ex eo ut tali fluentes de ipso demonstret. Sed posterius omnium confessione est absurdum. E. & prius. Consequentia patet, quia corpus & spiritus sibi invicem è regione ut condistincta opponuntur, sicuti ex scala prædicamentali patet. Nec obstat, quòd modus demonstrandi in Pneumaticis ferè coincidat cum modo demonstrandi Metaphysices. Negamus enim ex diversitate vel identitate modi demonstrandi identitatem vel diversitatem scientiarum pendere.

XXIX.

XXIX. Porro Metaphysica habet objectum univē-
 sale, affectiones universales, & principia universalia, unde
 ipsa & est & vocatur scientia universalis. Hinc Aristote-
 les: *Est quaedam scientia, quae speculatur ens, prout ens est, & quae*
ei per se insunt. Haec autem nulli earum, quae in parte dicuntur, ea-
dem est: nulla namque ceterarum universaliter de ente, prout ens
est, considerant, sed ejus aliquam partem abscindentes, quod ei acci-
dit speculantur, ut Mathematica scientia. Et alibi: *Attamen haec*
omnes (scientiae reliquae extra Metaphysicam) circa unum
quid & quoddam genus circumscribentes de eo tractant, sed non
de ente simpliciter, nec prout ens est, neque ipsius quid est ullam
rationem faciunt. Atque huc fortè pertinet locus supra
 § XXVI adductus: *Entis quoque quot species sunt, & species specie-*
rum speculari, unius scientiae genere est. Nam Graeca verba;
 Διὸ καὶ τὸ ὄν ὅσα εἶδη θεωροῦνται, μίας ἐστὶν ἀριστήμης τῶ γένους, τὰς
 εἶδη τῶν εἰδῶν, rectius ita vertuntur: *Quare & entis quot quot*
sunt species contemplari, (nempe sub ratione entis) unius scien-
tiae genere est, & species (entis sub propria ipsarum ratione
contemplari) specierum, i. e. specialium sive particularium
scientiarum est. Et ad hunc modum, verba haec accipi-
 unt Fonsca, Suarez & alij: atque ut ita intelligantur, con-
 textus videtur poscere, qui videatur. Iam verò Pneuma-
 tica & objectum habet particulare, & affectiones particula-
 res, & principia particularia, unde & rectè vocari potest sci-
 entia particularis. Objectum certè Pneumatices aequè
 particulare est, atque objectum Physices, nec Pneumatices
 objectum propius abest ab ente in universali quam obje-
 ctum Physices. Incommodè autem haec omnia, obje-
 ctum universale & particulare, affectiones universales &
 particulares, principia universalia & particularia, compin-
 gerentur in unam scientiam.

4. Met. 1.

6. Met. 1.

Fons. 4.
 Met. c. 2.
 Suar. Disp.
 Met. 1. sect.
 Ca. 21.



XXX. Denique posito, diversas abstractiones
diversas gignere scientias, dicimus, abstractionem à
materia secundum essentiam propriam esse Pneuma-
ticas. Spiritus enim & in universali & in particu-
lari non tantum extra materiam sensibilem existit, sed et-
iam nullaratione in ea esse potest, & repugnat ei esse mate-
riale sensibile. Alteram autem abstractionem secundum in-
differentiam Metaphysicæ relinquimus, quandoquidem
omnia hæc: Ens, unum, verum, bonum, perfectum,
potentia l. actus, causa vel causatum, necessarium vel
contingens & in materiatis & in immateriatis reperiuntur.
Contra: Quantitatis immunitas, indivisibilitas, insensibili-
tas, illocalitas, &c. in solis spiritibus reperiuntur.

XXXI. Atque ita probavimus, Pneumaticam non
incommodè peculiarem & à reliquis scientiis distinctam
constitui scientiam: quam sententiam Benedictus Pererius ^{l. 1. Phys. c. 6 & 7.}
primus videtur expressè asseruisse & argumentis allatis
confirmasse; licet fortè quidam etiam ante Pererium ab
hac sententia non prorsus alieni id, quod Pererius expres-
sis verbis professus est, innuisse videri possint. Cæterum
Pererius non quarit tantum vulgato Theoreticarum
scientiarum numero, Metaphysicæ videlicet Physicæ &
Mathematicæ, sed etiam quintam addit, & priorem qui-
dem agere vult de spiritibus ut talibus; posteriorem verò
de Deo, quatenus Deus est. Probare hanc sententiam,
quantum ex discursu ejus paulum obscuriore colligere li-
cet, videtur dupliciter: i. κατ' ἀλήθειαν, ex diversitate
objectorum & modi considerandi ita: Ubi sunt objecta in
quibus datur diversitas rationis formalis sive modi consi-
derandi, de ijs dantur diversæ scientiæ. Sed Deus & in-
telligentiæ sunt objecta, in quibus diversitas ejusmodi re-
peritur.

D

peritur.

peritur. Ergo de Deo & intelligentiis diversæ sunt scientiæ
constituendæ. Minor ex eo probatur, quia *major est di-*
stantia & diversitas, verba sunt Pererij, *inter Deum & intelli-*
gentias, quam inter has & res naturales, (de quibus tamen
diversas scientias dari in confesso est,) *siquidem major est*
distantia inter finitum & infinitum, quam inter duo finita.
Præterea, *plura sunt communia intelligentiis & aliis creaturis,*
quàm Deo & intelligentiis, & ea, in quibus Deus distinguitur ab in-
telligentiis, sunt plura & insigniora. II. κατ' ἀνθρώπων, ex diver-
sitate abstractionum hoc modo: Vbicunque sunt diversæ
abstractiones ibi sunt diversæ scientiæ: sed hîc sunt diver-
sæ abstractiones: E. Minorem probat: *nam res naturales, ite-*
rum sunt verba ipsius, sunt penitus immersæ materia sensibili: res
Mathematica sunt abstractæ à materia sensibili ratione tantum:
intelligentia secundum rem & rationem, verùm habent in se ma-
teriam quandam spiritualem & Metaphysicam. Etenim esse in
potentia, esse mutabile, esse imperfectum, esse limitatum, esse
compositum, subiici, recipere, participare, dependere, multiplicari,
hec inquam omnia nescio quid sapiunt materia & potentiali-
tatis. Deus autem ab omni ratione materia, qualiscungq; ea sit, est
purus & liber.

XXXII. Verum enimvero quamvis lubentes quar-
tam cum Pererio scientiam admittamus, non tamen ad-
duci possumus, ut etiam quintam approbemus: nec argu-
menta Pererii id quod debebant evincunt. Argumen-
tamur autem contra ipsum ita: I. Vbi non dantur duo pe-
culiaries considerandi modi toto genere à se invicem di-
versi, ibi nec dantur duæ peculiaries & à se invicem distinctæ
scientiæ. Sed in contemplatione Dei & reliquarum In-
telligentiarum, sive spiritus infiniti & finiti, non dantur
duo peculiaries modi considerandi & à se invicem toto
gene.

genere distincti. E. in contemplatione Dei & reliquarum
Intelligentiarum, sive spiritus finiti & infiniti, non dantur
duæ peculiare & à se invicem distinctæ scientiæ. Major
ex superioribus patet. Minor probatur, quia qui de spiri-
tuali natura Dei, omnibusque ejus prædicatis naturaliter
cognitis, eidemque ut tali competentibus agit, non minus
agit de natura spirituali ut tali, quàm qui reliquarum In-
telligentiarum naturam contemplatur: perinde ut Phy-
sicus non minus agit de corpore naturali ut tali, quando a-
git de corpore simplici, quàm cum agit de mixto, & cum
agit de corpore animato, quàm cum agit de corpore inani-
mato. Et si enim utrobique diversa sit ejus contempla-
tio, omnes tamen illi speciales modi sub uno generico con-
tinentur. Aliàs enim quis numerus foret scientiarum?
II. Argumentamur ita: Quælibet scientia considerat sub-
jecti sui species, vel quasi species, sub subiecto suo conten-
tas, & quidem sub ea ratione, sub qua genus in illa scientia
consideratur. Sic Physica v. g. considerat omnia corpora
naturalia quatenus talia. E. etiam Pneumatica non so-
lùm spiritum in genere, sed omnes etiam ejus species vel
quasi species considerabit, nempe sub ea ratione, sub qua
spiritus à Pneumatica consideratur. Hæ autem species
sunt non solum angelus & anima rationalis, sed etiam &
vel maximè Deus. III. Omnium analogatorum præser-
tim primi analogati, consideratio pertinet ad eam scien-
tiam, ad quam pertinet ipsum analogon, cujus sunt analo-
gata. E. non tantum reliquarum Intelligentiarum, sed &
ipsius Dei sive spiritus infiniti, utpote primi analogati, con-
sideratio pertinet ad Pneumaticam.

XXXIII. Ad argumenta Pererij th. xxxi. allata respon-
demus, & ad primum quidem negando minorem princi-

palis syllogismi ejusque probationem. Neque enim à re-
rum tractandarum distantia, de qua quidem hic Pererio ser-
mo est, vel immediatè ipsarum scientiarum, vel objecto-
rum formalium toto genere diversorum (talia enim intel-
ligi debent) & sic mediatè ipsarum etiam scientiarum di-
versitas pendet. Aliàs enim nec Metaphysices fuerit, a-
gere ullo modò de Deo : cum tamen certum sit, nec ipse
Pererius, nì manifestè absurdus esse velit, negare possit, Me-
taphysicam agere debere de Deo, ut est purissimus actus,
ut est omnipotens, creator omnium rerum, unus, verus,
summè bonus & perfectus &c. Porro hinc sequetur, Ma-
thematicas scientias cum Physica faciliùs constitu-
ere posse unam eandemque scientiam, quam con-
templationem causarum secundarum & contemplatio-
nem causæ primæ, quandoquidem inter illas non est di-
stantia infinita, qualis est inter causas secundas & causam
primam, quod itidem absolum est. Quod autem Pererius
dicit, majorem distantiam esse inter infinitum; & finitum,
quàm inter duo finita, id de iis quæ talibus concedimus.
Sed an plura Intelligentiis & aliis creaturis sint commu-
nia quàm Intelligentiis & Deo, si quidem id de iis intelli-
gamus, quæ naturaliter nota sunt, ut omnino intelligere
debemus, utpote versantes circa scientiam Philosophicam,
fortassis aliquis dubitet. Imo nisi id de gradibus cujus-
que perfectionis attributi aut prædicati Pererius intel-
lectum velit, reapse negabimus. Multa sanè sunt prædicata
vel attributa, quæ spiritibus creatis competunt, quorum
nullum competit rebus naturalibus: multa item compe-
tunt rebus naturalibus, quorum nullum competit spiriti-
bus creatis. Interim concedimus quamlibet perfectionem
Deo competere in summo gradu. Atque hujus di-
versi-

veritatis consideratio pertinet ad Pneumatices partem
specialem.

XXXIV. Alterum Pererii argumentum, quod tantum κατ' ἀνθρώπων directum est, nos non ferit, qui negamus ex diversitate abstractionum diversitatem scientiarum pendere. Interim ii, qui abstractionem propugnant, sine dubio negabunt, à tali abstractione peti posse scientiarum diversitatem, quippe cum materia, quæ in spiritibus creatis locum habere dicitur, non sit propriè dicta materia, qualis requiritur ad propriè dictam sive realem sive rationis abstractionem. Imo forsan ne Deus quidem hoc pacto realiter abstractus erit à materia, si materia analogicè tantum talis hinc attendi potest, idque ideo quia Deus supra se habet genus, aut certè conceptum cum reliquis spiritibus communem, qui indifferens est ad Deum & reliquos spiritus, & per conceptum proprium, qui quasi differentiae munere fungitur, est contrahibilis ad constituendum quasi Deum in esse Dei. At verò etiam genus, respectu differentiae determinantis genus, à quibusdam materia Metaphysica seu Logica dicitur. Verum hæc materia est tantum analogicè talis. Sicut enim forma substantialis, quæ cuique rei propria est, adjuncta materia, quæ, ut sic, quamvis formam recipere apta est, constituit unum per se; ita & generi, quod indifferens est ad suas species, addita differentia genus contrahit ad certam & determinatam aliquam speciem vel naturam. Atque ita ne Deus quidem ab omni abstraheret materia, quamvis materia illa, quam Pererius Intelligentiis tribuit, majorem habeat convenientiam cum vera & propriè dicta materia atque hæc altera, quæ in Deo locum habere dicitur.

Comp. Met
l. 1. c. 1. & 6.
seqq.

XXXV. Relinquitur igitur unam tantum constituendam esse scientiam, agentem de spiritibus & in genere & in specie. Atque hac in sententia præter multos alios fuerunt summi Viri, Cornelius Martini in prolegomenis Metaph. Henningus Arnisæus de constitutione Metaph. & B. Horneius, qui tamen postea sententiam mutavit & Pneumaticam partem Metaphysices fecit. B. Calixtum quoque ab hac sententia non alienum fuisse non sine causa quis putet, qui vel Prolegomena ejus in Epitomen Theolog. vel Apparatum Theologicum & quidem ubi de usu Pneumatices in Theologia agit, legerit. Sed hæc sine dubio multi obijcient, sententiam hanc de constituenda peculiari atque à Metaphysica distincta scientia spirituum prorsus repugnare Aristoteli, quippe qui lib. 12, 13, 14, præprimis vero 12 Metaphysicorum de spiritibus ut talibus egerit. Verum respondemus 1. multa si non pleraque, quæ in libris Metaphysicis Aristotelis de spiritibus reperiuntur, revera esse considerationis Metaphysicæ, & directè atque per se ad Metaphysicam pertinere, siquidem, ut jam tum supra concessimus, omnes spiritus ratione transcendentium attributorum sub objecto Metaphysices directè continentur. 2. dicimus cum Pererio, pauca esse quæ præter transcendentia de intelligentiis naturaliter habemus cognita, adeoque Philosophum docendi commoditatem secutum noluisse peculiarem scientiam de iis condere, sed alii alicui earum contemplationem adjungere. Nilum autem fuisse Aristoteli, hanc tractationem omnium commodissimè Metaphysicæ jungi posse, quippe in qua agendum sit de Intelligentiis, ut sunt communia principia & universales causæ omnium entium. Ex qua cognitione devenitur in notitiam eorum, quæ Intelligentiis

gentiis conveniunt secundum seipsas. Vnde etiam Aristoteles ex eo, quod æternum motum efficiant, earum attributa colligit. Denique ultrò fatemur, posse de omnibus iis, quæ de spiritibus naturaliter nobis sunt cognita, si rigor absit, in Metaphysicis agi, adeoque omnia quæ sunt considerationis Pneumaticæ, ad Metaphysicam referri, quia & pauca sunt, & qui Metaphysicam probè edoctus est, haud difficulter spirituum, ut talium, scientiam sibi comparare potest.

XXXVI. Verùm quicquid tandem fuerit de sententia Aristotelis, nos pergimus ad ea, quæ præter auctoritatem Aristotelis contra nostram sententiam afferri solent. Pugnatur autem contra eam partim aliorum auctoritate, partim rationibus. Quod auctoritatem attinet, dicunt, non Aristotelem tantùm, sed omnes etiam ejus Interpretes Græcos, Arabes, Latinos, quotquot ante Pererium fuerunt, tres tantum scientias theoreticas posuisse, & quidquid de Deo vel substantia immateriata naturaliter sciri potest, ad Metaphysicam retulisse. Sed Resp. 1. auctoritatem humanam ipsius rei veritati non posse præjudicare. 2. dicimus, Interpretes illos Aristotelem secutos esse, & quia ille de spiritibus ut talibus non instituerit peculiarem scientiam, nec ipsos id fuisse ausos. Et fortassis hoc ipsum, quod Aristoteles spirituum contemplationem Metaphysicæ junxit, nonnullis, Aristoteli præsertim addictioribus, fraudi fuit, ut exinde concluderint, scientiam spirituum ut talium directè & per se pertinere ad Metaphysicam. 3. Etsi fortè nemo ante Pererium expressè id asserere ausus fuerit, nulli tamen dubitamus, quin aliqui in hanc sententiam propendere, atque adeò id, quod postea Pererius expressè statuit, scrip-

pta

Horn. Cōp.
Met. l. 1. c. 2.

pta eorum evolventi innuere videri possint. Iavellus
certè & Zimara jam ante Pererium hoc innuisse memo-
rantur.

XXXVII. 11. Objicitur, facile fieri potuisse, ut
Pererius, homo licet doctissimus, etiam de constituenda
quarta aliqua scientia erraverit, quia manifestò & nobis
ipsis concedentibus erraverit de quinta, quam voluit age-
re de Deo ut Deus est. Sed quia hoc narrasse ferè est retu-
tasse, pergimus ad rationes, quæ contra sententiam no-
stram afferri solent.

XXXVIII. Tertiò igitur colligunt ita: Certum est,
ajunt, non dari substantias immateriales præter Deum,
intelligentias, & animam rationalem. Sed neque animam
rationalem, neque intelligentias, neque Deum singula-
tim peculiarem requirere scientiam, neque etiam si con-
junctim sumantur. E. Probant id de anima dupliciter:
1. quia ita sit substantia immaterialis vel spiritus, ut tamen
non completa sed incompleta substantia sit, & hominis
forma. Quia igitur de homine agatur in Physicis, etiam
de partibus hominis, præsertim de parte principali, ibidem
agendum esse, pars verò principalis ejus est anima: adeo-
que contemplationem animæ propriè ad Physicam perti-
nere concludunt. 2. quia anima considerari possit dupli-
citer; vel in statu conjuncto, vel in statu separato: illo
modo ejus considerationem totam esse Physicam; de sta-
tu autem separato vel nihil prorsus, vel tenui ac incerta
conjecturâ cognosci, quicquid naturaliter cognoscitur.
De Intelligentiis id similiter inde probant, quòd natu-
ra ipsarum, quæ qualisque ea sit, nisi divinando ex animæ
nostræ proprietatibus naturaliter non innotescat. De-
nique de Deo dicunt non esse instituendam peculiarem
scien-

scientiam 1. quia, sicut Metaphysica demonstrat, quod
Deus sit, ita etiam eandem quam optimè demonstrare
qualis sit, quantum quidem per naturam scire licet. 2. quia
omnia prædicata, ut substantiarum spiritualium principi
competentia, puta quod sit spiritus, intelligens, sapiens,
liberi arbitrij, æternus, justus, non aliter quam in Metaphy-
sics, & ex principiis Metaphysicis, demonstrari possint.
Probant id rursus inde, quia Metaphysica doceat primam
causam non dependere ab alia, adeoque esse suum per se ipsam
suamque habere essentiam, non per participationem: ex
quo rectè ipsa possit concludere, eam non posse esse vel ul-
lo modo mutabilem, vel unquam cœpisse vel desinere
esse, sed esse immutabilem & æternam, quæ alias sunt con-
clusiones Pneumatices.

XXXIX. Sed Respondemus ad singula. Et primò
quidem dantur multæ affectiones spirituales, quæ ne-
que animæ ut tali, neque Intelligentiæ ut tali, ne-
que Deo ut Deo competunt, omnibus tamen illis
revera competunt, sed quatenus participant com-
munem naturam spiritus, qui primum omnium ha-
rum passionum est subiectum, adeoque etiam illæ affe-
ctiones omnes de ipso sunt demonstrandæ. Atque hinc
danda est aliqua scientia, quæ agat de spiritu in communi.
Quòd autem dicitur, de anima ut substantia incompleta
& hominis forma agendum esse in Physica, utpote quæ
agat de toto homine, concedimus, verum non aliter de
ea Physica potest agere, quam quatenus est hominis forma,
vel quatenus est altera pars compositi naturalis. Neque
enim de ea agere Physica potest, quatenus participat com-
munes affectiones spiritus, alias agere deberet de spiritu
in genere, quod nec facit nec facere potest. Deinde licet

E

status

status animæ sit vel conjunctus vel separatus, illæ tamen
generales affectiones ei non competunt, quia vel quate-
nus constituta est in statu conjuncto, neque quia vel
quatenus constituta est in statu separato, sed quatenus
sub spiritu, ut sub genere, ipsa, ut species, quæ totam ge-
neris naturam participat, continetur, quo modo ipsa præ-
scindit à statu conjuncto & separato. Interim rectè dice-
re potes, generales illas affectiones competere animæ, &
quæ constituta est in statu conjuncto, & quæ constituta est
in statu separato. Illa porro, quæ peculiariter animæ
competunt, ut constituta est in statu conjuncto, ad Physi-
cam pertinere concedimus. Sed ea, quæ ei competunt
quatenus constituta est in statu separato, ad Pneumaticam
pertinent: licet hic concedendum sit, de ea ut in tali statu
constituta, sicut etiam de propria natura intelligentiarum,
& pauca esse naturaliter cognita, & quæ de iis cognoscun-
tur, non tam certò atque evidenter de iis posse cognosci,
atque ea quæ spiritui in genere, sive spiritui ut tali, compe-
tunt. Neque vero æqualem omnium, etiam eorum quæ
ad eandem scientiam pertinent, certitudinem *πεπαιδευμέ-*
νῳ auditor postulat. Ita longè infirmiores sunt demon-
strationes Politicæ demonstrationibus Ethicis, cum ta-
men Ethica & Politica unam eandemque constituent
scientiam, & Politica pars specialis sit Philosophiæ Pra-
cticæ, perinde ut tractatio de speciali natura animæ,
intelligentiæ & Dei constituit partem specialem Pneu-
matices. Et fac, plura de propria natura intelligentia-
rum & animæ rationalis & quidem satis evidenter & cer-
tò posse cognosci, an nobis concedetur, tum demum co-
gnitionem spirituum diversam constituere posse scientiam,
ita quidem, ut tunc spiritus ut talis sub alius alicujus sci-
entia

entiæ objecto (sub quo hæcenus directè fuerit conten-
tus: id enim, si quid adversarii contra nos efficere velint,
asserere debent:) non amplius possit contineri? sine du-
bio id etiam ipsis absurdum videbitur. Denique dici-
mus, nos jam tum concessisse, posse totam scientiam spi-
rituum hanc ipsam ob causam, quòd non adeò multa sint,
quæ de spiritu cognosci possunt, & quòd specialem natu-
ram animæ & intelligentiarum attinet, non adeò certa
sint, ad Metaphysicam referri. Hoc vero negamus,
quòd, si rigidus esse velis, eorum ut talium contem-
platio directè & per se pertineat ad Metaphysicam.

XL. Tandem quòd Deum attinet, dicimus, pri-
mò, nos jam supra dedisse, Metaphysicam suo modo a-
gere debere de Deo, scilicet quoad prædicata transcen-
dentia, quo modo etiam agere posset de omnibus enti-
bus, si opus esset. Deinde, si prima ratio firma est, tum
Metaphysica etiam aget de corpore naturali ut tali, de
quantitate ut tali, & omnibus particularium scientiarum
objectis, quandoquidem ipsa omnium objectorum exi-
stentiam, si opus sit, suo modo probat. Ad secun-
dam rationem dicimus, non quidem videri negandum,
Metaphysicam probare posse multorum attributorum, ex
Dei ut spiritûs essentia promanantium, existentiam, sive
quòd Deo insint: negamus tamen, eam demonstrare
posse, quare insint sive quam ob causam, non qui-
dem realem, at virtuales, eamque ratione nostri con-
cipiendi modi proximam, Deo competant. Et nonne,
cogitet modo aliquis, ex eo, quòd Deus est omnis quan-
tatis (molis) expers, id, quòd Deo ut spiritui compe-
tit, omnium rectissimè inferens, quòd Deus sit indivisibilis:
quemadmodum corpori naturali, quòd Physices obje-

atum est, & cui objectum Pneumatices, nempe Spiritus, è regione opponitur, mediante quantitate competit divisibilitas? An Metaphysica propiorem ratione nostri concipiendi modi afferre potest causam? In omnimoda quidem Dei perfectione hæc omnia radicanur, sed non ita immediatè, & quod addere liceat, ita eleganter omnia ex ea demonstrantur.

XLI. Quartò objicitur ita: Si Metaphysices est agere de ente quatenus ens est, ut tamen ejus non etiam sit agere de Deo ut Deus est, ipsa non erit sapientia aut cæterarum scientiarum princeps. *i. Met. 6. 2.* Sapientia enim non universalissima tantùm, sed etiam divinissima tractat, ut docet Aristoteles, omnesque concedunt. Sed hoc absurdum est. E. & illud. Resp. Metaphysica agit de Deo secundum prædicata transcendentia, sive ut est primum ens, purissimus actus, ut est omnipotens, ut est prima omnium rerum causa, ens necessarium, summè bonum & perfectum &c. Ergo adhuc poterit vocari sapientia. Quamvis autem ob causam jam allatam rectè cæterarum scientiarum princeps vocari possit, alia tamen etiam dari potest ratio, eaque forsan convenientior, quare hoc nominis Metaphysicæ competat: quia videlicet cæteras scientias suo modo dirigit, iisdem objecta præscribendo, principia eorundem, eo, quo fieri potest, modo confirmando, nec non aliis etiam modis iisdem succurrendo. *3. Met. 2.* Atque hinc vocatur quoque scientia *principalissima & honorabilissima & cui cæteras scientias tanquam ancillas non contradicere decet.*

XLII. His ita pertractatis concludimus, Pneumaticam rectè constitui peculiarem atque à Metaphysica & reli-

reliquis scientiis distinctam scientiam, ita tamen, ut omnia
ea, de quibus in Pneumatica agendum est, non incom-
mè ad Metaphysicam possint referri. Antequam autem
hinc abeamus, adhuc quandam objectionem contra to-
tam ferè disputationem, præprimis verò th. xi. directam,
reliquis, quæ adhuc plures proferri possent, brevita-
tis studio ipsi conflictui reservatis, in medium profere-
mus. Argumentetur ergo aliquis ita: Quæcunque sci-
entia ex natura sua ordinata est ad praxin eamque dirigit,
illa scientia non est scientia Theoretica, sed Practica. Sed
Pneumatica ex natura sua ordinata est ad praxin, eamque
dirigit. E. Pneumatica non est scientia Theoretica sed
Practica. Major patet. Minor probatur, quia in Pneu-
matica omnia eò tendunt, ut rectè possimus colere Deum,
quod fieri nequit, nisi ipsum, ut sese per lumen naturæ,
id enim tantùm huc pertinet, revelavit, cognoscamus.
Deinde, ex eo, quod Deus est omniscius, rectè infer: Ergo
nihil mali designare debemus. Unde Seneca: *Sic viven-* Ep. 33
dum est tanquam in conspectu Numinis vivamus. Sic cogitan-
dum, tanquam aliquis in intimum pectus introspicere possit, quod
Deus omnino potest. Quid prodest ab homine aliquid esse secre-
rum? Nihil Deo clausum est. Similiter quoque reliqua
Dei attributa suum habent usum moralem, atque sic pra-
xin dirigunt, ut consideranti haut difficulter patebit. Sed
Resp. 1. eodem modo probare possem, etiam Metaphy-
sicam esse scientiam Practicam, quod tamen nemo con-
cesserit. Nam & ex eo, quòd Deus est creator omnium
rerum & omnipotens &c. rectè infer, eum summis viribus
esse colendum, timendum &c. Atque hinc dicimus
2. hæc omnia & his similia non concludi in Pneumatica
vel Metaphysica, sed vel in Philosophia morali, vel in

Theologia naturali morali. Metaphysica enim & Pneu-
matica attributa illa Dei non practicè sed theoreticè tan-
tùm considerant, ex quibus postea Philosophus mora-
lis vel Theologus naturalis moralis infert, Deum summis
viribus esse colendum, super omnia amandum, in ipso fi-
duciam esse collocandam, & similia. Atque ita Meta-
physica & Pneumatica de attributis Dei agunt theore-
ticè, Ethica verò vel Theologia naturalis moralis pra-
ctice: similiter ac Physica agit de affectibus theoreticè,
Ethica vero sive Philosophia moralis practicè. Sed quoniã
hæc pluribus deducere ratio instituti non permittit,
exercitationem nostram hîc finimus.

COROLLARIA.

I.

Spiritus ut sic non habet principia essendi.

II.

Male Timplerus spiritum definit per *substantiam
creatam molis corporeæ expertem.* 4. Met. c. 4. th. 2.

III.

Similiter errat Timplerus, quando *Immateria-
tum esse ait, quod ex nulla materia est productum.* 4. Met.
c. 6. th. 4.

IV. Pneu-

IV.

Pneumatica propriè non subalternatur Meta-
physicæ.

V.

Scientia nostra non est reminiscencia, uti Pla-
toni visum est.

VI.

Absurdus est Cartesius, dum hoc pronuntia-
tum: *Ego cogito, Ergo sum*; pro omnium primo
cognitionis principio agnoscit.

VII.

Penè ridendus est Timplerus, dum Metaphysi-
cam & Physicam definit per artes contempla-
tivas.

VIII.

Recte se habet illud Aristotelis: *Quicquid mo-
vetur, ab alio movetur.*

IX.

Logica rectè suo modo dicitur Methodus,
Facultas, Disciplina, Doctrina, Habitus instru-
mentalis, Scientia, Ars: omnium tamen optimè
definitur per *Artem* tanquam per genus.

X.

Errant, qui existimant Aristotelem 2. Met. 3. per
τέχνην ἀριστήμης intelligere Logicam.

XI.

XI.

Deus directè est in Prædicamento.

XII.

Aristoteles *demonstrando demonstrare docuit.* Alex. Aphrodisiensis testibus Conimbricens. & Lovaniensibus,

F I N I S.



05 A 637 (1/2)


ULB Halle 3
004 207 955



sb

V3 77 del.





DE
QVÆSTIONE
AN PNEVMATICA
SIT PECULIARIS ET A RE-
LIQVIS SCIENTIIS PRÆSER-
TIM A METAPHYSICA DISTIN-
CTA SCIENTIA
EXERCITATIO

QVAM
PRÆSIDE
ANDREA FRÖLINGIO
PHILOSOPHIÆ MAG. ET LOGI-
CES PROFESSORE ORDINARIO

Die 18 Martij
INNOVI IVLEI AVDITORIO MAIORI
Publico examini subjiçies

GEORGIUS ERNESTUS Geldberg
CELLENSIS AUTOR.



HELMÆSTADI,
Typis HENNINGI MÜLLERI Acad. Jul. Typ.
Anno clc lcc lxx.

